

autem diuina distinguuntur tantum secundum relationes. Ideo in fruitione unius includitur fruitio alterius, siquod est una fruitio trium, sed ratio prima est melior, quae tangit rationem obiecti, a quo actus suscipit viuacitatem.

Richardus Aegidius. Idem dicit Richardus, Aegidius quoque, qui addit istud ex tribus posse probari. Primo ex parte fruibilitatis, quae est proprietas summæ bonitatis, cui propter se inhereret amore: quæ cum sit vna in tribus personis, vna est earum fruitio. Secundo, ex parte fruibilis, quoniam tres personæ sunt, vnus omnium intellectualium creaturarum finis, in quo solo vltimate, atque plenarie quietantur. Tertio, ex parte fruientium. Nullus enim quietatur in duobus, in eo, quod duo, aut in pluribus in eo quod plura. Vnde sicut vnum, est vniuersorum principium, ita, & vnus omnium finis, ad quem omnia reducuntur. Item sicut adoratio respicit maiestatem, ita fruitio bonitatem. hinc sicut tribus personis, propter vnâ maiestatem adoratio, vna debetur, ita vna fruitione frui eis debemus propter vnâ earum in diuisibile bonitatem. Hæc Aegidius.

Antifod. Antifodorenfis vero sic arguit: Frui est amore alicui propter se tantum inherere. si ergo fruendū est filio, filius diligendus est propter se, non igitur propter patrem. Ad quod respondet, quod filius diligendus est propter se tantum. nec tamen sequitur, quod non propter patrem, quia non excluditur pater, cum sit idem finis qui filius. Porro cum dicitur, pater diligit filium propter filium, ly propter accipitur priuatiuè, & est sensus: diligit filium non propter aliud. Cum autem dicitur Deus esse diligendus propter beneficia sua, ly propter non dicit causam finalem, sed materialiter incitantiâ.

Quo Deus diligit propter beneficia. Cum verò dicitur Augustinus, Vna sola Dei imago colenda est, quæ est illa, quod Deus pater, quæ non pro patre, sed cum patre colenda est: sensus est, quod pater, & filius sunt colendi, vt vnus omnium finis. Hæc Antifodorenfis.

Scotus. At vero Scotus circa hæc querit, Vtrum in obiecto fruibili sit aliqua distinctio, ita vt voluntas eo fruatur secundum vnâ rationem, & non secundum aliam. Et arguit primo, quod sic. Primo Ethico rum habetur, quod sic sicut ens, & verum sunt in omni genere, ita & bonum. Cum ergo Deus, & diuina essentia, quæ sunt fruibilia, habeant bonitatem substantiâ, & relationis, habent duas rationes secundum quas sunt fruibiles. Præterea, sicut verum, & vnus conuertuntur cum ente, ita & bonum, sed vnitas translata ad diuina est essentialis, & persona lis, sunt enim ibi tres, unitates, ergo & tres bonitates, ergo Deus secundum vnâ est fruibilis, & nõ secundum alteram, aut si secundū utranque, hoc est secundū plures actus fruendū. Ad hæc dicit, quod quatuor assignantur distinctiones in diuinis. Vna essentia, & persona, alia personarum inter se, tertia attributorum inter se, quarta idearum ab essentia.

Primo ergo considerandum, an viator fruitione imperfecta possit alia fruitione frui essentia, & personis, alia quoque fruitione vna persona, & alia fruitione alia, deinde de fruitione perfecta. Dico ergo, quod viator potest frui essentia, non fruendo persona. Potest enim Deum absolute considerare, non cogitando de relatione, nec eam negando: & ferri in Deum amore, ac frui eodem, quem admodū philosophi in lumine naturali conceperunt Deum, absolute vt summum bonum. Cumque relatio non sit de ratione essentia, aut deitatis, potest Deus, seu

essentia, ac bonitas summa, sine conceptu relationis considerari: non autem potest viator frui persona diuina, nisi fruendo essentia, quia persona in sui ratione includit essentiam. Secundo dicendum, quod viator potest frui vna persona, non fruendo, alia, & hoc ordinatè: quia vna persona potest intelligi non intellecta alia, quamuis intellecta vna persona, necessario concomitetur alia, eo quod relatiua sunt, & intellectualiter concomitentur, ut terminantes respectum, non tamen oportet propter hoc, quod viator fruatur, & alia illa persona, sicut, & frui possumus creatore, non fruendo creatura, ad quâ refertur creator. Item, saltem duæ personæ, scilicet pater, & filius, possunt intelligi non in intellecta tertia: quia nec pater, vt pater, nec filius, vt filius, refertur ad spiritum sanctum. Ecclesia quoque habet speciales orationes ad personas: & offerendo præces vni personæ, non oportet intelligere alias. Tertio inquirendum, an per omnipotentiam Dei possibile sit, beatum seu comprehensorem frui essentia, & non frui persona: aut frui vna, & non alia. Et dicunt quidam quod non, quia essentia diuina non est nisi in personis. talis etiam visio esset imperfecta, ergo, & fruitio eam sequens. Mihi autem uidetur, quod non includat contradictionem, quod Deus ex potentia sua absoluta causet in intellectu alicuius beati visionem diuinæ essentia abque visione personæ, & similiter visionem vnus personæ sine visione alterius: & similiter de fruitione. Nã pater æternus formaliter beatus est actu intrinseco sibi proprio. Non enim productione filij est formaliter beatus, quoniam sicut pater non sapit sapientia genita, ita non est beatus beatitudine genita: sed quicquid est intrinsecum patri, prius est, prioritate originis in patre, quam producatur filius sub omni ratione perfecta: aliter non esset perfectè beatus in illo priori originis, & in illo priori pater habet essentiam, non vt communicatam filio, & spiritui sancto, sed ut in se tantum: & ipsa ut talis, est summè amabilis, & fruitionis obiectum. ergo pater potest eam ut sic, ostendere alicui beato, qui sic fruatur ea, non fruendo persona. Sic quoque possit ostendi vna persona, et summum bonū, abque alterius uisione. Nec ualet quod opponitur, quia relatiuè dicuntur adinuicem. Non enim sequitur, uideo te patrem, ergo uideo filium tuum. Hæc Scotus.

Cuius positionem non nisi breuiter tango, & recitatiuè. Materia enim profunda est, & non uidetur mihi securum, considerationem nimis profundare in ea, aut uelle metiri abyssum, & determinare quid omni potentia, super gloriosissimi Dei possit, & quid in celestibus illis ciuibus fieri queat. Vnde de his, & consimilibus tutius est reuerentiale silentium, quam curiosum, aut præsumptuosum scrutinium. Idcirco penitare debemus illud libri Sapientia. Difficile inuenimus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore. quæ autem in caelis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum domine quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum tuum de caelis? Hinc diuinitissimus, & illuminatissimus Dionysius, & post eum Damascenus, sapienter dixerunt: Non esse audendum, aliquid de superabundantia deitate affirmare, præter ea, quæ nobis in scripturis sunt tradita.

His, quoque a Scoto hic dictis, obuiat quod Hæri cus quod libero secundo, questione septima, qua queritur, an beati unico intuitu uideat tres personas distin-

Dionysius. Diuina ab curiosè scrutata. Maior. 40

Sapientia. 9

Dionysius. Damascus.

Henricus.

Et,

Quatuor distinctiones in diuinis.